



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 10. An Polygamia seu pluralitas uxorum simultanea est licita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

mores emendârit, innocens non potest mutare statum per Professionem Religiosam, vel sacrum Ordinem suscipere: quia nocens saltem emendatus potest auctoritate Judicis repetere conjugem. tmò cessante periculo omni & coniuge emendato, uxor ad virum redire debet, nam cessante necessitate illud quoque cesset, quod pro necessitate factum est. c. Ordinationes 9. q. 1.

3. Fieri potest ex mutuo consensu, studio vitæ perfectioris in Religione, ex Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.* Quòd si unus post consummatum Matrimonium Religionem ingredi velit, debet & compar ingredi, c. 4. de convers. conjugat. nisi in sæculo manens castitatem voveat, nec sit de incontinentia suspecta, c. 8. eod. Tit. ut autem vir sacros Ordines suscipiat, sufficit si uxor castitatem in sæculo voveat, c. 5. eod. Tit.

Q. 10. *An Polygamia seu pluralitas uxorum simultanea est licita?*

Resp. Est illicita & irrita post Evangelium promulgatum. Prob. 1. ex Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ergo à fortiori mœchatur, qui priorē retentâ alteram adiungit. & Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos. (unicum cum unica coniungens) propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, &c.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis

archis & Israëlitis factam revocat, & Matrimonium ad primævam institutionem reducit. Et non dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit adharebit uxoribus, sed uxori, ait Innoc. III. c. 8. de divort. 2. Ex perpetua Ecclesiæ traditione & praxi. 3. Ex Trid. sess. 24. can. 2. *Siquis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathematisit.* Esse etiam irritam Polygamiam, supra docet his verbis: *hoc autem vinculo duostantum modo copulari & conjungi, Christus Dominus apertius docuit, &c.*

Imò Polygamia, sine licentia Dei, adversatur legi naturali. Quia 1. etsi non impediat generationem prolis, per se tamen impedire nata est, & impedit saltem communiter bonam prolis educationem, & pacem domesticam ad eam necessariam: nam vix fieri potest, ut non fit aliqua prædilectio, & distinctio, & neglectus aliquarum uxorum; nec invidia, iurgia, rixæ inter illas uxores, aliaque mala inde nascantur, idque ex natura rei, spectato fæminarum nativo ingenio. 2. Æqualitas contractûs Matrimonii, ideóque eius iustitia exigit, ut sicut uxor tradit totaliter dominium sui corporis, sic suum totaliter tradat vir uxori: ita ut uterque eo æqualiter uti possit, nec alteri tradere sine iniuria alterius, Unde Innoc. III. c. 8. de divort. ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.*

Hinc infideles non possunt ad Baptismum admitti,

admitti, nisi unam tantum uxorem primo loco acceptam retineant, ceteris ut illegitimis dimissis, c. 8. *de divort.* Si tamen alia fidem susciperet, præferenda esset; potest quippe conversus omnibus uxoribus infidelibus dimissis aliam fidelem ducere.

Deus tamen Polygamiam Patriarchis licitam reddidit, ad multiplicandum populum Dei, dividendo in plures uxores jus quod ex natura contractus una habebat totaliter in corpus mariti, & suppeditando media, ne inde bona educatio, & pax familiarum impediretur, & alia mala sequerentur.

Nunquam autem conjunctio ejusdem feminae cum pluribus viris permessa fuit, quia hæc adversatur fini etiam primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam, vel saltem rarissime sequatur, ut patet in meretricibus: & quando non impeditur incertum reddit Patrem prolis, quod prolis educationi adversatur. Finis autem primarius Matrimonii est tum generatio prolis, tum ejus recta educatio.

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii.

Impedimenta Matrimonii alia sunt impedientia tantum, quæ reddunt illud solummodo illicitum. Alia dirimentia, quæ insuper edificantur invalidum, si fuerit attentatum: unde sic